



Ioannes natus est in opoido Franconiæ Monte-
 regio sexto die lunij quarta hora post meridiem
 minuto quadagesimo, anno salutis millesimo qua-
 dringentesimo tricesimo sexto. Vnde Horoscopus
 eius fuit decimus quintus gradus Scorpij, Sol, Lu-
 na, Mars & Mercurius simul in Geminis, quod na-
 turam moderatam, docilem & disciplinæ idoneã si-
 gnificabat. in qua cum & lumina conuenerint &
 Mars & Mercurius extiterit, ingenium neque
 hebes neque segne expectabatur. Bonitatem tem-
 peramenti augebant, Iupiter in Libra, & Venus in
 Cancro. Quanquam uerò hæc optimam eius indo-
 lem significarent, non tamen sine afflatu diuino Io-
 annes tot tamque uarias artes penitus percipere, tot linguas discere, tãtos per-
 ferre labores, simul discendi, docendi, fabricandi machinas, spectandi stella-
 rum loca, scribendi eruditissimas enarrationes, euoluendi tot labyrinthos, e-
 dendi tabulas suas & alienas, ac componendi Ephemerides, in tam breui tem-
 poris curriculo potuisset. Is postquam in patria Grammaticam didicisset, pu-
 er adhuc uenit in Academiam Lypensem, ubi Dialecticam & Sphærica ele-
 menta audissimè arripuit. Cũ ibi audiuisset Vviennæ Austriæ esse huius Phi-
 losophiæ præcipuum domicilium adhuc adolescens eo proficiscitur. In eo lo-
 co inuenit Peurbachium Bauarum ingeniosissimum uirum, ætate ac authori-
 tate florentem. Hic cum naturæ uim & uoluntatem adolescentis consideras-
 set, Regiomontanum complexus non solùm hortator, sed etiam dux fuit in i-
 psa adyta sacratissima Mathematicarum artium. Cum hoc modo summa esset
 familiaritas & assidua sententiarum collatio circiter decẽnium, multas obscu-
 ras materias illustrant, ueros planetarum motus obseruant, & Martis cursum
 non congruentem tabulis duobus gradibus restituunt. Fortè Bessarion do-
 ctissimus cardinalis Græcus tunc ad Fridericum Cæsarem legatus uenerat. is
 à Peurbachio petijt ut Epitomen eius Ptolomæi libri componeret, cui titulus
 est *Μεγάλη σφαιρα*. Id opus morte Peurbachij interruptum, Regiomontanus ab-
 soluit, & postea Rhomæ cum Græcè didicisset, & Theonem conferret, emen-
 dauit. Incesserat quidem antea utriusq; cupiditas adeundæ Italiæ, ut doctos ui-
 ros in Italia audirent, & Græcè linguæ operam darent, in qua fontes harum ar-
 tium cognoscere, & Ptolomæum sua lingua loquentem legere uolebant. Erat
 & Bessarion hortator ut secum proficiscerentur. Sed Peurbachij consilium de
 hac peregrinatione mors immatura anteuertit, quo extincto luctus etiam Re-
 giomontanum mouit, ut facilius Vviennam relinqueret.